



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 19. De quadruplici causarum genere, ad tex. com. 42.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

non dicitur, quod dissolutio in ea fiat, quæ manent: neque vnica intelligente anima excepta remanet forma post compositi dissolutionem: eandem ob causam in primo lib. de priori Analisi cap. 1. in subiectum dumtaxat & attributum quæ sunt vt materia, dissolui dicitur propositio, non in copulam, quæ vim habet formæ: quod illa maneat, hæc pereat. Itaque non temerè dixeris elementum hoc loco nominatum non fuisse, quod esset perspicuum, animam non esse vt materiam: tum quia in text. 4. iam eam ostenderat non esse corpus, seu materiam: tum quia si est vt forma, quemadmodum antea definiuit, nequaquam potest esse materia: siquidem hæc duo causarum genera dilictam habent naturam, neque in eandem rem conueniunt vnquam.

Anima non elementum, sed tamè principium esse.

Propterea non elementum, sed causam & principium dixit: siue hæc pro eodem vsurpètur, quasi diceret, siue causam, siue principium appellare velis, anima est viuentis corporis causa seu principium. Siue potius diuerso significato nominentur. Nam non temerè causam prius, deinde principium dixit. Sed quoniam ex definitione principio proposita fuit ostensum, animam esse actum & formalem causam: deinde ex iis, quæ de facultatibus quoque adiecta sunt, eam habuimus esse principium, hoc est velut efficientem suarum facultatum. Deinde verò quoniam ex definitione habitum fuit, eam esse actum essentialem & dare corpori esse absolutum: cum sit etiam facultatum principium, consequens videbatur, eam dare quoque esse operatiuum, & in eo esse principium operationum. Ac velut Nautam in nauì totam animalis vitam gubernare, atque adhuc sine refertur omnia; maxime ad conseruationem & perpetuitatem, quam tantopere cuncta desiderant. Hoc igitur est, quod ait; Anima est viuentis corporis causa & principium. Quomodo autem sit, ita exponit.

TEXTVS.

Ομοῦ εἰς τὴν ψυχὴν καὶ τὴν οὐρανὴν ἡ ἀνάγκη τῆς αἰτίας. Ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἡ κίνησις αὐτῆς ἢ τὸ οὐρανὸν, ἢ αὐτὴν ἢ οὐσίαν ἢ ἐκφύσειν ἢ ἰσχυρῶς ἢ ψυχῆν αἰτία.

Verum anima tribus definitis modis causa. Etiam vt unde motus ipsa, & cuius gratia, & vt substantia animatorum corporum, anima causa.

COMMENTARIVS XLII.

TAmetsi causa & principium ita, vt dictum est, distinguantur: quoniam tamen re ipsa sunt idem; omnisque causa principium est, et si non omne principium causa: in eo, quod nunc agitur, perinde fuerit, siue causa dicere, siue principium. melius verò fuerit causæ vocem retinere: tum quia magis animæ vim in corpore exponit: verè enim non solum est principium, sed & causa: tum etiam quia forma, finis, & efficiens, quæ de anima demonstranda sunt, propriè in causarum generibus nominantur. Cum igitur & principium & causa multis modis dicantur: Anima tribus modis ex iis, qui in secundo lib. Phys. & alibi definiti sunt, dicitur esse viuentis corporis causa, & vt efficiens, & vt finis, & vt forma. Neque mirum. Nam hæc tres causæ in vnâ & eandem persæpè concurrunt. Verum antequam videamus, quomodo hæc à Philosopho singula demonstrentur, operæ precium fuerit de causarum generibus & cuiusque vi ac natura aliquid prædocere.

A Digressio xix. De quadruplici causarum genere. Quatuor à Peripateticis causarum genera narrantur, Materiale, Formale, Efficiens, & Finale. Antiquioribus materialem causam fuisse cognitam, formalem vix vlli, ab Empedocle, & Democrito obscurè indicatam: efficientem quibusdam notam, haud tamen satis perspicuam, Hesiode primùm, deinde Empedocle & Anaxagoræ: Finale demum à nullo aperte posita, restatur Aristoteles in primo lib. Meteorol. cap. 3. & 4. & 2. Physic. text. 22. & 1. de Partib. animalium cap. 1. & lib. 5. de eorundem vita cap. 1. Sed si res tota diligenter consideretur, ita sunt omnes inter se connexæ, vt qualibet eorum posita reliquæ omnes ponendæ sint. Si enim sit materia, formam adesse oportet, quæ illam in specie perficiat: & agens, quod formam illam in materiam inducat: & finem, propter quem agens operetur. Rursum si sit forma, opus est subiecto, in quo ea sit: agente, à quo producat: & fine, à quo agens ad agendum incitetur. Quod si sit agens, subiectam actioni suæ materiam supponere formam aliquam agendo producit: & propter finem quempiam operatur. Denique cum finis impellat agens ad formam in materia produendam; si fuerit finis, erunt efficiens, materia, & forma. Et ita erunt, vt in diuerso genere lingule primò & per se ad constituendum effectum concurrant, vt immeritò conatus fuerit Seneca Epist. 66. ad duos contrahere, formali & finali relictis. Plato instrumentum addidit & exemplar.

Verum quælibet causa tria omnino requirit. Primum, vt sit aliquid: deinde, vt aliquam habere causandi rationem: postremò, vt in ea sit quæpiam, ratione cuius eam vim habeat. Materiam esse aliquid, antea demonstratum est. Id autem, per quod est causa, ipsius potestas est. Atque vt causandi ratio intelligatur, duo in ea spectanda sunt. Alterum est esse id, in quo suscipiatur forma.

D Alterum esse id, ex quo fiat compositum. Compositum enim esse id, quod omnes causæ intendunt, & cuius dicuntur causæ, certa ratio includit. Nam sunt causæ eius, quod fit seu producit: producit autem id, quod tanquam perfectum verè habet esse & in natura subsistit. Hocque est compositum: quod propterea tanquam proprius causarum effectus adfertur, dum ex materia dicitur gigni ignis, per formam ignis fieri ignis, & ob igne produci ignis, vt speciem suam conferat: & omnino naturalium rerum causæ dicuntur, dum internæ, externæ reliquæ. Quoniam illæ solæ efficiunt eius constituunt, cuius sunt causæ, neque compositum.

E Si tamè spectetur id, in quod suam primam vim exeruat, id potius ipsamet causæ esse videtur: & ideo sibi vicissim dicuntur causæ. Et enim omnes causent compositum, Enq. perfectum intendunt: quia tamen illud nisi ex pluribus partibus esse non potest, finis primùm mouet agens, agens primùm educit formam, forma primùm format materiam, materia primùm suscipit formam: atque dum ita sunt causæ, producent compositum. Nam cum compositum non sit res distincta à materia & forma, sed illæ ipsæ sibi inuicem coherentes; omnia ratio causandi, quæ circa materiam & formam versatur, circa compositum item versatur. Et agens educendo formam, materia illam suscipiendo, forma actuando materiam, & finis mouendo agens educendam formam, faciunt nimirum compositum.

tum: estque eadem reipsa causalitas & inter ipsas vicissim, & coparatione compositi. Potestas enim illa, ex qua materia vim habet causae, eadem est causa ut materia ad vtrumq. referatur. Et ex eo, quod materia est actus indeterminatus & imperfectus, est potestas apta, per formam perfecti, & velut pars compositum constituere: & ideo suscipit formam, vt per eam perfectum quid fiat. Neq. potest esse vnus causa, quin sit ite alterius. Et dum subijcitur forma, fit pars copositi; ipsaq. susceptio formae est copositi constitutio. Et rursum si causat copositum tanquam materialis eiuspars, ex qua fiat; necesse est alteri parti, quae est forma, subijciatur.

Quamquam alia atque alia ratione. Nam comparatione formae est id, in quo fit, vel ex quo educitur: comparatione copositi id, ex quo tanquam ex materia fit aut componitur: quorum alterum est prius altero. Etenim quia si non tempore, natura certe prius est formam educi & suscipi in materia; deinde materiam & formam vt partes constituere compositum; prior est causalitas respectu formae, quam comparatione compositi: neque potest materia vt pars compositum constituere, quin suscipiat formam. Et in compositum aliquod fieri potest ex partibus, quatum vna alteram non suscipiat, vt ex partibus, integritatibus, aut quantitatibus: hoc tamen compositionis genere, quod est ex materia & forma omnino non potest: Quoniam haec compositio fit, dum vna pars dat suum actum alteri, cui inexistit; & ideo vnus oportet in altera suscipi: quemadmodum in toto integro partes vniri necesse est, neque sine hac vnione compositionis illud genus intelligitur. Propterea nec vis materialis causae ad solam formam sinit; nec perfecta censetur, nisi cum ad compositum terminatur. Et ea in text. 28. lib. 2. Phys. definitur esse id, ex quo fit aliquid cum inicit: quia compositum essentialiter fit ex materia, tanquam subiecto praesistente & permanente in illo. Et quauis fiat quoq. forma, quae ex illo subiecto educitur: quia tamen fieri ex aliquo significare videtur fieri ex praesistente & eo, quod subijciatur, materia potissimum attribuitur.

Forma vero non dicitur esse id, ex quo fit compositum (nisi fortasse quatenus tanquam pars natura saltem illud antecedit) sed potius esse quiditatis ratio. Quod de coposito solum potest intelligi. Siquidem forma non est quiditas materiae, sed compositi, dum seipsa tribuendo determinata essentia & quiditatem illius propria adfert. Vt enim materia quoq. fit quiditatis pars, quippe totum id significat, quod est composito essentialiter: forma certe sola est quiditas eius propria, qua tale ab aliis distinctum efficitur. Nam materia communis est, & dat solum esse substantiam corporae: omnisq. actus certe speciei est a forma, tum quo ad essentiam, tum quo ad existentiam. Vt quemadmodum ex materia & forma tanquam duabus imperfectis essentis fit perfecta compositi essentia: sic ex duabus earum existentis imperfectis fiat vna substantia perfecta formaliter solum ab illis distincta: sicut etiam compositura materia & forma distinguitur.

Si ergo in forma quoq. tria illa sint agnoscenda, quae in omni causa requiruntur; id, quod est formalis causa, est propria forma substantiae; id, per quod est causa, est illius actus certe speciei, ratio denum causandi est, vt sit pars propriam compositi quiditatem constituens: quam actuando & formando materiam exequitur.

A quod autem ad externas causas attinet; Efficiens verè est primum, hoc est potissimum principium, vnde oritur motus. Ita optimè distinguitur à natura: quod natum principium sit motus in eo, in quo est; Efficiens autem causa principium, vnde motus, hoc est principium motus in alio, seu prout est aliud. Quemadmodum etiam potestas illius agendi dicitur esse principium motus aut mutationis in altero, aut prout est alterum in 5. lib. Metaphys. text. 17. Principium, inquam, motus: non quod non fit etiam principium eius effectus aut formae, quae per motum producitur: sed quod ita exponatur modus, quo est principium formae, nempe per motum. Quocirca id, quod est efficiens causa, sunt res ipsae naturales, quarum vnaquaq. naturae suae congruenter operatur: Id, per quod est efficiens, est ipsius forma tanquam agendi principium: Ratione causandi est agere seu producere, suaeque virtute facere, vt aliud habeat esse.

B Ad efficientem porò causam Conseruans, Instrumentum, & Exemplar reuocantur. Nam duobus modis potest res quapiam conseruari. Aut impediendo corruptionem, quam illius contrarium molitur. Aut per agentis praesentiam, si res ab illius praesentia pendeat. Prior est improprius, & illis dumtaxat conuenit, quae non per se, sed ex accidente indiget conseruante, propterea quod occurrat contrarium; alioqui seipsis consistere potuissent. Sed siue haec conseruatio fiat augendo qualitates, quibus ea res contrario resistat, siue debilitando & contrarij actionem prohibendo: manifestum est, eam ad efficientem causam pertinere, esseque diuersam ab ipsius rei productione. Quoniam productio est circa formam, seu rem ipsam, haec autem conseruatio circa qualitates, aut ipsius rei contrarium.

Posterior modus est magis proprius, quia in illis conseruitur, quae per se indigent conseruari, nec absq. eo possunt consistere. Verum hic ipse vim efficiens habet. Nam productio & conseruatio forma solum distinguitur; quod altera rem significet tunc primum virtute alterius accipere esse, cum antea non esset: altera eam permanere in eo esse, quod iam habebat. Et ideo vtraq. rem significat habere esse virtute alterius. Et cum sint idem esse ipsius formae seu rei, sunt quoq. idem re inter se atq. ab eodem agente, vel etiã ratione eiusdem virtutis & principij: quemadmodum idem est effectus, nepe habere esse. Vtq. conseruandi est necessarium etiã producendi; quonia si potest continenter dare esse, multo magis principio potuit. Immo non solum ab eodem agente & per idem principium: sed ab illo quoq. eodem modo operante sunt & productio & conseruatio. Cum enim eadem sit vis, quae & producit & conseruat, quatenus ab ea aut primum res habet, aut deinceps retinet esse, eadem est in vtraq. agentis operatio, idem influxus; totaq. diuersitas est in patiēte aut effectu, prout vel primum accipit esse, vel illud idem retinet: sub eadem tamen ratione causandi, quia vtrumq. significat esse ab alio.

Instrumentum quoque diuersam ab efficiente causam non constituit: sed tanquam aliquid illius ad eam reuocatur; instrumentaque proprie solius sunt efficientis causae. Etenim forma & finis nulla adhibent; sed seipsis effectum suum causant. Materia etsi quaedam habeat dispositiones, ex tamen illius instrumenta proprie non dicuntur. Quoniam instrumentum ordinem ad actionem significat, vt sit id, quo aliquid operetur. Materia

Causa efficiens

Causa conseruata

Causa instrumentaria



nullam actionem habet, sed passionem, quam ipsa immediatè sustinet. Quòd si appelles instrumenta, ad materialis causæ genus reuocabuntur. Quia velut materię dispositiones ad suscipiendum & patiendum rationem quandam patiendi & suscipiendi habent. Si igitur de proprio instrumento loquaris, quod in actione & efficiente causa cernitur, propterea ad illud causa genus semper reducitur, quòd illius virtute operetur.

*Instru-
mentorum
tria ge-
nera.*

Tria namque sunt instrumentorum genera, quædam naturæ, quædam artis, alia, quibus interdum vitur Deus. Naturalia propria sibi semper aliquam actionem habent, qua si per se considerentur, primaria efficientia dicantur: calor enim calefacit, & calorem producit. Diuina item aliquem possunt habere motum: quemadmodum Iurum, quo Christus ad illuminandum cæcum aliquando est vsus, humectare poterat, aut huiusmodi quidpiam efficere. Artificiosa nullo modo dices efficientia: quoniam malleus aut terra, vt arte constant, forma sunt mortuæ & omni operatione destituta. At si considerentur vt alterius agentis instrumenta sunt, duo videntur, tum naturæ, tum artis instrumenta significare. Alterum quasi materiam, vt quidpiam sint aptum ad effectum eum iuuandum, quem præcipuum agens machinatur. Nam si calor non posset calefacere, & malleus aut terra materia illa & figura non constarent, instrumenta esse non possent, aut ignis producendi, aut cathedre conficiendæ. Alterum velut formam, moueri scilicet atque ab agente primario dirigi, vt hoc aut illo modo agant. Nisi enim ab alio moueretur, effectum illum nunquam producerent. At in diuino instrumento laus est si ab eo moueatur; quemque tandem sit instrumenti natura & conditio, etsi ad effectum attingendum minimè apta. Vt enim agens, quod finita virtutis est, determinatis egeat apteque comparatis instrumentis; quod ab illis actio eius adiueatur. Deus certè virtutis infinite nulla indiget ope instrumenti: sed quolibet vel ineptissimo quilibet potest efficere, quia quodlibet vel ineptissimum instrumentum potest is ad actionem quamlibet eleuare. quemadmodum quoque in natura & artibus quò præstantius est agens, eò ad nobiliorem effectum attollit instrumentum. Ita nimirum & ligno dulces factas aquas Marath, & ficis sanatum Ezechiam, & luto restitutum cæco aspectum, & alia id genus complura littere sacræ testantur.

Ceterum quoniam quæcumque sint instrumenta, ea non agunt, nisi aut à primario agente mota, quemadmodum artium instrumenta; quæ propria vi nihil efficiunt, sed artificis solum impulsu motu: aut si ratione suæ formæ aliquam habeant actionem, vt instrumenta præsertim naturæ: quatenus tamen sunt instrumenta, & hoc aut illo modo agunt ad eum effectum producendum accommodatè, non agunt nisi à primario agente mota & directa: instrumentum omne reduci debet ad primariam causam, cuius virtute & impulsu agit; neque aliud causæ genus constituit. Instrumentum verò diuinum, quod absq. necessitate assumitur, nullam habet ad eum effectum actionem naturalem: sed signum potius diuinæ actionis esse videtur nisi Deo liberit actinem

instrumenti ad actionem supernaturalem eleuare. Superest vis idææ & exemplaris consideranda. Idæa dici solet esse forma extra rem existens, ad cuius similitudinè agens per intellectum effectum quempiam per se producit. Ita quatuor idææ conditiones proponuntur. Prima, vt sit forma distincta ab ea re, cuius est idæa, nihil enim est simpliciter idæa. Altera, vt ad eius similitudinem quidpiam fiat. Nam hic est modus causandi idæam, vt in regula, cuius imitatione aliquid fiat. Tertia, vt ad cuius similitudinem per se efficiatur. quòd si præter intentionem & ex accidente fiat, in eo vis idææ non cernitur. Postrema, vt agens, quod et idæa operatur, sit agens per intellectum: & idæa vt idæa causet, concipi debet ab agente & habere esse obiectiuum in mente. Agens naturale esse producat sibi simile, eius tamen foris idæa non dicitur. Quia etsi ea spectari possit, vel vt operandi vim habet, quo modo vocatur efficiens, vel vt est producta formæ similis, & ita idææ rationem habere videatur: quoniam tamen eadem agens impellitur ad agendum à forma, non vt est similis, sed vt actiua (etsi enim similis non esse, nihilominus ageret, vt videre est in homonymis, in quibus agens naturale idæam nullam inspicitur quippe nec eam cognoscit nec simile sibi producit: ac proinde non ab idæa, sed impulsione naturæ trahitur) nulla in eo propria idææ ratio reperitur. Quam ob causam non ineptè admodum nos Philoponus in commentario ad text. 27. lib. 2. Physicorum, Aristotelem tanquam naturalem philosophum exemplarè causam omnimodis, quod natura, dum quidpiam operatur, exemplaria non intuetur, sed absque cognitione rationes tenentur quæ sunt. Sic enim non arte aut intellectu, hoc est exéplaria intuyendo: sed solo naturæ diuinitate dicitur in text. 80. facere nidum, aranea telam, planta folia & fructus, naturaliaque causa suos effectus.

Strigitur in solis agentibus per intellectum reperiatur idæa, non solum debet esse aliquid absolutum extra rem existens, in quo effectus imitatio & similitudo consistat: verum duplicem quoque relationem significat. Alteram ad id, cuius est idæa, quemadmodum omne simile refertur ad suum simile. Alteram ad agens per intellectum. Non enim idæa per se existens causet, sed ratio est, per quam agens causat aliud. Vt pestificatio est in idæa, quæ vitur peior, siue sit idæa externa, imago quæpiam, quam intuetur, siue interna, quam mente conceperit. Namque in omnibus neganda idæa est, in artibus saltem manifesta, in quibus ex efficiendi operis conceptione actio operatur: non per formam, quæ est homo, sed per eam, quam habet. Agensque omne, quod ex actione agit, per aliud præcognitum agit: quia voluntas non eligit nisi aliquid mente conceptum.

Itaque in triplici agentium genere reperitur idæa, vt triplex est agens per intellectum, homo, Angelus, Deus. In quibus ea, quæ nature impulsu sunt, quia sine libertate sunt, non per idæam sunt, vt dum homo procreat hominem. Nec enim procreare potest qualem velle, & in diuinis quando pater generat filium. Nam etsi in sacris litteris imago, figura, & caracter patris appelletur: eam tamen rationem expoluerunt viri doctissimi, quod representet patrem.

At ratio

At ratio exemplaris & exemplati requirit etiam, ut vnum sit alterius imitatione factum. Et ideo exemplar relationem significat cause ad externum effectum, debetque esse exemplato prius: ac demum actio, que ab eo proficitur, est actio practica, qua vnum alterius imitatione fiat. que omnia de eterna illa & ineffabili generatione affirmari non possunt. In his ergo dumtaxat, que libere fiunt, vestigabitur in homine in artificis preteritum, in Angelo in motu colorum & similibus actionibus, in Deo in his omnibus, que extra se operatur.

Etenim perfecta efficientis ratio in eo conitur, ut principium sufficiens sit producendi effectum. Et quoniam vnumquodque agit ut est actu, estque actu per formam, & forma est principium & ratio agendi, propterea vnumquodque agens per suum actum & formam agit, atque per eam sibi simile producit. Et ut ab actu, & forma producendum habet: sic etiam habet, ut determinatam quidpiam producat. Quemadmodum enim forma, quia est actus primus principium est operationis tanquam actus secundi: ita quia est actus determinata species, principium existit determinata operationis, que forma illi conueniat. Neque solum ad efficientis rationem pertinet, ut vnum habeat producendum, sed etiam ut talem rem producere possit, siquidem operatur ut est actu per talem formam. Immo idem re sunt, esse productiuum vniuersi, & esse productiuum huius. Nam & forma, a qua efficiens habet vnumque, eadem est, & ut est forma, & ut est talis: & cum productio ad rem existentem terminetur, existentiaque non sit vniuersa nature, sed singularium rerum; efficiens esse productiuum, nil aliud est, quam esse productiuum huius aut illius: tamen in mente velut duo separantur. Inde est, quod ad efficientis rationem pertinet, ut sit productiuum aliquo modo sibi similis: proprie quidem efficiens synonymum, omonymum autem quoquo modo, quia cum sit productiuum huius aut illius per suum actum, producat illud ut est aliquo modo simile suo actui, per quem producit. Et ideo effectus dicitur esse talis, quia producit a tali efficiente per talem actum: & vnitas effectus in efficientem causam reducitur, diciturque esse talis qualis esse debet, quia est similis actui & forme efficientis, per quam est factus.

Vniuersi autem duplex est efficientis genus. Vnum, quod solo natura impulsu, absque cognitione operatur. Alterum, quod cognoscit & libere agit. Et ut illud est in acta determinatum per naturalem formam, que in eo est principium agendi & producendi talem effectum: ita hoc esse debet per aliquam formam cognitam mentis que conceptam, qua & constituitur in actu, & tota eius actio ad hoc potius, quam illud, producendum determinetur: preteritum cum hoc agentis genus ad plurima efficienda sit indifferens. Forma hac appellatur idea. Que hoc quidem cum naturali forma conuenit, quod ut agens naturale per formam est actu ad operandum, dicitur producere sibi simile, ad hunc vel illum effectum determinatur, & est propria illius causa: sic agens per intellectum hac omnia habet ab idea. At naturale agens operatur formam suam non cognoscendo: sed ea solum ratione, qua forma illa vis

quadam est operandi, naturaliter in actionem prorumpens; vnam solum habet formam, qua vno modo est actu & ad vnam actionem vniuersi effectum determinatum: & ideo naturaliter, necessarium, & eodem semper modo operatur. Agens autem ex cognitione per ideam agit quatenus eam cognoscit; pluresque habet ideas, quibus alio atque alio modo ad alias atque alias operationes sit actu, & ad diuersos effectus determinetur. Et ideo operatur ex electione, vnam aliquam ex multis, quas habet, ideam accipiendo, & per eam determinatum, dum illam intuetur, propria sit huius potius quam alterius effectus causa.

Propterea ad illud ipsum cause genus spectat idea, ad quod pertinet naturalis forma quatenus est agendi principium & efficientis determinatio. Quoniam enim vtraque est actus, per quem agens actu operatur & determinatum effectum sibi que simile producit: ad idem genus cause spectat vtraque. Quoniam si que sint inter eas differentia, ea non diuersum causa genus, sed diuersum in eodem genere cauandi modum ostendunt: ut alterum naturale agens dicatur, necessarium, determinatum ad vnum; alterum cognoscens, liberum, indeterminatum ad plura. Nimirum ergo ad efficientem causam reducitur. Tum quia ad illius rationem constituendam pertinet, velut aliquid eius, velut inquam actus, determinatio, & principium proximum seu ratio agendi. Tum quia naturalis forma, dum idem in agente naturali prestat, ad eam causam reuocatur, que alioqui ut dat esse, ad formalem pertinet. Ita Aristoteles in text. 30. libri 7. Metaphysica omnia dixit quodammodo fieri a synonymo, etiam in arte. Quia domus fit per formam domus, que est in mente. Ideam enim illam ad efficientem causam reuocauit, que est artifex.

Ceterum omne, quod agit, finem aliquem & vltimum actionis spectat. Deus, quod summum sit & infinitum bonum seque ipso contentum, sibi ipsi finis est atque in eo idem sunt, id quod operatur, id propter quod operatur, & operatio ipsa. Quare cum omnium rerum sit efficiens causa, neque aliud quam seipsum agendo spectet, est item vltimus omnium finis. Agentia cetera, que non omnem habent rationem boni, sed perfecto constant & imperfecto, nempe bonitate, quam habent; & alterius, quam non habent, carentia; perfici possunt ab alio, quod eam habeat bonitatem, qua carent. Ita & finem habent a se distinctum; nec vltimus finis esse possunt: triaque illa, que in Deo sunt idem, separantur in illis.

Duplex tamen adhuc in his distinguitur finis. Alter, qui de nouo producitur; ut forma, que gignitur. Alter, qui preexistit motui, & per eum acquiritur. Atque ut ille prior dicitur potius operationis & motus finis, ita hic posterior proprie agentis finis appellatur. Quamquam in eo ipso fine, qui motui preexistit, aliquid semper est, quod producat. Nam dum ignis procreat ignem, tum ignis forma tanquam generationis finis producit, tum per eam finis aliter precipuus agentu acquiritur: proximus quidem ipsius perfectio, quatenus agendo perficit etiam aliud: remotus autem speciei

Idea ad efficientiam spectat

Causa finalis

Finis duplex

conseruatio; vniuersique perfectio; primæ causæ assimilatio. In quibus omnibus & aliquid est, quod acquiritur, & aliquid, quod generationi præexistit. Præexistunt ignis generans, species, vniuersum, prima causa. Produciuntur agentis operatio, & aliquid, quo species conseruatur & perficitur vniuersum, ac demum primæ causæ assimilatio acquiritur. Ita finis quicumque aliquo modo produci debet, si non quoad essentiam, certè quoad acquisitionem.

*Omnia
agere
propter
finem.*

Quæ portò in natura agunt, aut solo naturæ impulsu agunt, vt inanimata omnia & plantæ, aut cognoscendo. Siue materialiter solum cognoscant & elicitò appetitu appetant finem, quemadmodum bestiarum genus: siue etiam formaliter sub ratione finis, & tanquam conueniens aliquid & bonum, vt homo. Hominem, qui intelligentia dicitur, certum est agere propter finem. Nam & finem formaliter cognoscit: & nisi cognoscatur non agit, positique omnibus ad agendum necessariis potest non agere: quod argumento est, eum si agat ab aliquo fine moueri. Quin etiam tantæ operationum varietatis, quanta in eo cernitur, nulla est alia ratio, nisi quòd diuersos intueatur fines, ad quos aliis atque aliis actionibus contendit. De cæteris idem facillè concludes. Habet enim omnia certam metam, & terminum suarum actionum. Non eandem tamè, sed pro diuersitate naturæ diuersam operationem, qua certò & absque errore singula tendant in aliquem suæ perfectionis terminum, quo acquisito quiescant. Et ideo Natura principium est motus & quietis, nempe motus, qui ad terminum tendat & finem, in quo quiescat id quod mouetur. Tam verò ordinate in eum tendunt, quasi habent sapientiam, & intelligerent finem. Vnde Auerrois illud in comment. 18. libri 12. Metaph. Opus naturæ opus intelligentiæ. Et imitatione eorum, quæ natura sunt, perficiuntur complura in artibus, quas propter finem operari manifestum est. Imò ex omnibus rerum Naturalium operationibus tam admirabilis vniuersi ordo consurgit, ac si vniuersi constituendi rationem tenerent singula. Vsq; ad eò tendunt omnes non solum ad propriam perfectionem, sed ad vniuersi quoque ordinem & bonum. Accedit, quòd vt præclare aduersus antiquos Aristoteles disputauit, naturæ operationes aut semper fiunt aut plerumque, eodèmq; modo & ordine vnus post aliud, quousq; tandem ad proprium aliquem & eundem semper terminum veniat. Quem ni consequatur, aberrasse dicitur & frustra egisse, quasi propter illum operaretur. Denique in Deo perspicua est ratio finis: tum quia perfectionem significat: tum quia propter se ipsum omnia operatus est, seq; ipsum amando est beatus. Cùm igitur creatæ res omnes bonitatis diuinæ participes sunt, habent & ipsæ bonitatem quandam, quæ & appeti possit & rationem finis habere. Verissimè enim pronuntiatum est in text. 86. lib. 2. Phys. ineptum esse existimare propter finem eas non agere, quòd eum non cognoscant, aut deliberatione & consilio non vtantur. Operatio enim propter finem in eo cernitur, vt illius gratia fiat, isque tanquam determinatum quidpiam & certum ea tandem operatione quaeratur. Quod in agentibus liberis præstant cognitio, consilium, & electio: in

reliquis propensio & impulsus naturæ. In quibus non minus, quàm in liberis, vnus quodque sit quemadmodum est aptum fieri: eòque ordine illorum omnium, quæ fiunt, vt nisi impediatur aliunde; idem semper effectus consequatur: perinde quasi omnia propter illum fierent.

Ita demum in hoc quoque genere causæ illa explicabuntur, quæ in reliquis antea propensita sunt. Id; quod est causa, est illud reale, bonum, & perfectum, quod operatione & motu acquiritur. Est autem causa secundum suum esse reale, quod est futurum. Nam ita & est quòd bonum & experendum, & vltimò terminat motum & operationem agentis, atque vt illud acquiritur, fiunt omnia quæcumque fiunt, quòd si non acquiritur, frustra egisse agens dicitur. & si acquiritur, non solum præclare actum censens, sed omnis etiam actio cessat & appetitio quiescit. Propterea non est causa secundum esse reale actu, sed effectus potius neque de ratione eius est, vt quando causat existat, sed vt in illud taxat vltimò, quo terminat motum, qui potius quando causat debet non existere, sine simpliciter, si de nouo sit producendus; sine quo ad acquisitionem, si motui præexistat. Quam tamen agens propter illum non ageret, nisi vel eum cognosceret, vel in eum saltem inclinaret natura, verè quomodo dicitur ante motum esse, siue in cognitione, siue in propensione agentis. Quare vt propensio in agente naturali ita esse cognitum in eo quod cognoscendo operatur, non sunt id, ratione cuius finis est causa: sed conditiones dumtaxat ex parte agentis, quibus positis causalitas eius consequitur. Et quamuis ipse actu non sit, verè tamen & realiter est causa, si agens propter illum operetur. Quoniam illius causalitas non significat, eum creare aut operari quidpiam, sed solum esse id, cuius gratia.

Quæ causalitas tum comparatione agentis terminat, tum mediorum omnium, quæ ad finem consequendum adhibentur. Comparatione agentis est id, cuius gratia agens operatur: comparatione mediorum id, cuius gratia ipsa sunt, adhibentur, & ordinantur ab agente. Nam quòd plerique vim finis agnoscant in eo, vt mouentur agens ad agendum, causando in eo desiderium sui: minus est Philosophi doctrinæ & rationis consentaneum. Aristoteles enim vnica illam vim exposuit, vt sit id, cuius gratia, & vt tantam causalitatem eam ad efficiendum causam magis pertinere: non solum in Deo, qui omnia propter finem operatur, nullum à fine causam desiderium: sed neque in naturalibus. Nam etsi ad finem habeant inclinationem, quæ desiderij locum habere possit: ea tamen non est à fine, sed à natura naturæ auctore ipsis insita, eodèmq; modo se habet in agentibus ex cognitione desiderium finis, quo in naturalibus inclinatione natura.

Mediis portò verissimè dicitur finis necessitatem dare, aut contingentiam, speciem, perfectionem, bonitatem, & appetibilitatem. Quòd in agentibus ex cognitione maxime perspicua. In naturalibus enim quæ non accipiunt tanquam media, nisi ea, quæ suapte naturæ sunt ad illum finem, quæ

Tex. 38. Empedocles autem non bene dixit hoc, accretionem addens accidere plantis, deorsum quidem, cum radices mittant propterea quod terra sic mouetur secundum naturam, sursum autem, propterea quod ignis eodem modo. Neque enim sursum & deorsum bene accipit. Quoniam non idem sursum & deorsum omnibus & ipsi vniuerso. Sed ut caput animalium, sic radices plantarum, si oportet instrumenta disere diuersa & eadem operibus.

COMMENTARIVS XLVI.

Quod dictum est, animalium incessum atque adeo sentionem fieri ab anima, ita erat manifestum, vt negaretur a nullo. In accretione non ita veteres omnes consentiebant: sed aliqui alias illius causas proponebant. In quartum consideratione non nihil Philosophus immoratur. Ac primū Empedocles materiam necessitatem prætendebat, terram & ignem: plantasque deorsum crescere ea parte qua radices mittunt, quod partes terreae suo pondere descendunt: sursum autem extendi ramos, propter igneas partes altiora loca sua leuitate petentes.

Sursū & deorsum quid.
Opinionem hanc duobus modis confutat. Primum quoniam non eodem modo in singulis rebus considerata sunt sursum & deorsum, quo in vniuerso toto se habet. In toto enim vniuerso sursum est locus corporum leuium, deorsum locus grauium. Et deorsum quidem id dicitur, quod est medium mundi; sursum autem, quod est circa medium maximèque à medio distat. At in plantis non sunt hæc per comparationem ad totum vniuersum constituenda: vt rami dicantur sursum, quod proprius ad eum locum accedant, qui in vniuerso est sursum: radices deorsum, quod mundi medio locoque deorsum propinquiores sint. Sed quoniam plantæ viuunt quemadmodum animalia; sunt hæc in illis distinguenda potius comparationem ad animalia, quæ & nobis notiora, & in viuentium genere perfectissima sunt; ad quæ analogiam quamdam habent plantæ. Quare vt in animalibus pars ea sursum dicitur, qua sumunt alimentum: ea est caput, tamen si eorum pleraque prona spectent terram. Ita & in plantis radices, quibus alimentum trahunt, existimanda sunt esse sursum: eaque proportione respondent animalium capiti. Quia vt hæc eos habent in capite, eaque parte nutriuntur: ita radices os plantarum sunt, quo ex terra surgunt alimentum. Equum est enim instrumenta ex operibus & vsu iudicare: siquidem propter vsu & opera fabricata sunt. Et ideo cum plantarum & animalium corpora sint organica & velut anime instrumenta; eorum partes ex vsu, quem habent, examinande sunt. Quæque eundem habent vsu, eodem modo iudicande: diuerso autem, quæ diuersum. Itaque cum radices in plantis eundem habent vsu, quem os & caput in animalibus; eas dubitandum non est sursum esse, quemadmodum os & caput. Deorsum autem pars est opposita, ad quam alimentum transit; in animalibus pedes, in plantis rami.

Dua partes viuentibus omnibus necessaria.

In secundo libro de partibus animalium capite 10. duas viuentibus omnibus partes necessarias esse

prodidit Philosophus: quarum altera sumunt alimentum, altera secerantur excrementum. Sæpe tamen excrementi locum non habent, quod ex terra coctum cibum hauriant. Sed excrementa vice semina & fructus effundunt. Perinde enim fuerit, siue vtile, siue inutile excrementum dicitur. Quamquam si ex animalibus, quæ plantis meliora sunt, ad plantas deriuentur hæc voces, sursum & deorsum: poterunt & ex homine omnium præstantissimo & optimo ad animalia cetera atque ad plantas deriuari. In homine autem, qui erectam habet figuram, sursum & deorsum hæc esse eisdem vniuersi partibus respondent opinem.

B Caterum sex omnino situs differentie commemorantur in tercio Phys. libro textu 54. & libro quarto textu quarto & quinto, & pluribus alijs in locis, sursum & deorsum, ante & retro, dextrum & sinistrum. Quarum duplex ratio extat in tercio libri secundi de Cælo. Altera, quæ est etiam in Phys. tex. 38. quia triplex est dimensio: atque longitudine considerantur sursum & deorsum, in latitudine dextrum & sinistrum, in profunditate ante & retro. Altera ex triplici animalium motu virtutæ (hæc enim in animalibus præsertim considerantur.) Primus motus est accretionis, in quo sursum & deorsum cerantur. Ea namque pars in qua est virtus, quæ huius motus principium est, sursum vocatur: ea est caput. Nam ore primum sumitur & teritur cibus, quo aluntur. Hæc proportionem respondent plantarum radices, quibus tum ex terra trahitur, tum præparatur alimentum. Pars porò huic opposita dicitur deorsum. In hoc motu maximè longitudo spectatur; quia cæteri augeri viuentia creduntur, quamdiu maior: cæteri eorum longitudo. Deinceps est corporulentia & obesiore euadant, augeri tamen non dicuntur.

D Alter est incessus. Hinc dextrum & sinistrum. Nam pars ea, in qua maximè vis motrix viget, & vnde agreditur motum, appellatur dextra, perque opposita, sinistra. Quare & pars dextra calidior & robustior, est in eam copiosior calor influxus & spiritus. Incedentisque dextrum pedem primum mouemus, & dextram manum admodum uemus operi. Si secus accidat, id in perpaucis est & ex accidente.

E Tertius motus est sensio, ex quo ante & retro leuantur. Pars, in qua est huius motus principium, anterior est. Ea est facies, in qua sensum omnium organa viget. Huic opposita est posterior. Itaque proprie in solis animalibus nominantur, in quibus hi omnes vigent motus. In plantis, quæ solum habent accretionem, sursum duntaxat & deorsum. In rebus inanimis nullum profors: quod vt est in nono eiusdem secundi libri de celo, aut omnino non mouentur, aut ad vnicum continuatum terminum. In cælesti demum corpore non nisi comparatione nostri partem dextram & sinistram orientem & occidentem dicimus: quod ab illa incipiat & in hac desinat localis motus. Quare cum hic solus motus in se in eo corpore, non item accretio & sensio; solum dextrum & sinistrum, non cetera in illo nominamus.

Hæc omnia ad huius loci interpretationem pertinebant, vt intelligeretur, cur hoc loco sicut duntaxat & deorsum, non alias situs differentie Philosophus nominet; cum tamen omnem in

in partem accretio fiat. Ratio est duplex, quod in plantis, de quibus sermo, haec duae solae differentiae confiderentur. Altera, quod ex accretionis motu, de quo agebatur, sursum dumtaxat & deorsum deducantur, aliae ex aliis animalium propriis motibus.

Quo loco etiam Auerrois lapsus observabis. Qui sursum in animalibus dixit esse caput, quoniam inde principium sensus. Nam & Aristoteli, & sibi ipsi adseratur. Quippe alibi cum Aristotele cor docuit esse principium sensus. Et oblitus est ex sensu peti ante & retro: sursum autem & deorsum non ex sensu, sed ex nutritione & accretione pendere.

Hac quasi per digressionem dicta sunt. Iam ad Philosophi interpretationem revertamur. Atque quod ad hanc primam adversus Empedoclem argumentationem attinet, ea non demonstrationis necessariae, sed probabilis rationis vim habere videntur. Propterea subiicit alteram. Potuisset enim Empedocles respondere, se non adferre accretionis causam, quod ignis & terra ad sursum & deorsum ferantur, quae in viventibus: sed quae in uniuerso considerantur: & ideo deorsum radices mitti & ramos sursum; quod ad mundi medium terra & a medio ignis moueantur. Hoc tamen merito reprehendit Philosophus, quod non bene sursum & deorsum in viventibus nominet; in quibus maxime nominare oportebat, cum accretio sit motus ipsorum proprius. Partemque eorum, cum sint organica ab visu & officio, non comparatione partium uniuersi nominanda sunt; neque radices dicenda deorsum mitti & rami sursum, quod illae ad deorsum uniuersi, hi ad sursum tendant. Sed contra potius, quod radicibus alimentum sumatur, & ad ramos transeat.

DIGRESSIO XX.

De motu grauium & leuium.

Offert sese occasio hoc loco tres difficultates explicandi. Primam, cur grauia & leuia sursum & deorsum moueantur. (Nugatur enim Alcinoius nam in lib. de doctrin. Platonis cap. 1. nihil ait esse sursum aut deorsum.) Alteram, vnaenam eorum grauitas & leuitas oriatur. Postremam, a quoniam principio elementa sursum & deorsum moueantur. Cum autem elementa in hac quaestione nominantur, grauia omnia & leuia intelligenda sunt: si quidem mista quoque ab elemento dominante mouentur.

Cur leuia & grauia sursum & deorsum moueantur, haec est causa. Elementa integra & tota, velut huius uniuersitatis partes, primum & per se ad medium & a medio properant, ut illa nimirum occupent spatia, quae intra caeli ambitum inania remansissent. Propterea motrices qualitates acceperunt. Tame si leuia moueantur simul ad locum, ignis ad superficiem lunae, aer ad superficiem ignis: grauia velut consequenter, dum ex naturali horum corporum dispositione sit, ut dum

A medium mundi occupant, superficie aeris vndequaque contineantur. At elementorum partes mistaeque corpora, quae ab elemento dominante impelluntur, primum & per se ad suum totum, consequenter ad totius locum mouentur.

Aristoteles paulo aliter hanc quaestione tractans in quarto libro Physic. text. 48. & 49. & quarto de caelo a text. 21. ad 26. & posteriore de ortu & interitu text. 30. duas rationes exposuit. Alteram, quia unum quodque mouetur ad simile, a quo propter qualitatis similitudinem conseruetur. Alteram, quia mouentur ad locum ut pars ad totum & materia ad formam. Nam quod continet, est ut totum & forma, quod autem continetur, ut pars diuisa & materia. Sane & pars naturaliter mouetur ad totum, & formam quaerit materia.

Itaque in hoc sublunari mundo disponendo naturam dixeris caelestium corporum dispositionem imitatum fuisse. Ut enim in caelestibus plures sunt orbes, quorum vnus altero continetur: ita per has qualitates motrices disposuit elementares orbes, ut ignis ad supremum locum leuitate impulsus reliqua omnia complecteretur: aer minore predictus leuitate sub igne aquam & aqua sub aere terram continerent, terra vero grauissima in medio esset immobilis, velut centrum circa quod superiores orbes verterentur. Et cum quatuor essent loca, medium, extremus & tertius prope medium, quartumque prope extremum, inserunt natura grauitatem simpliciter, leuitatem simpliciter, & grauitatem ac leuitatem secundum quid, ut & omnia implerentur loca; & cum elementa se se vicissim contingerent, totum uniuersum omni ex parte esset plenum. Et ita plenum, ut optimè etiam animalibus consulerum, dum omnium solidissima terra commodissimisque habitationis locus medium tenuit: ignis, ne vehementi nimis actione obesset, in remotissimum se cessit locum caelestibus corporibus proximum, quae aut maxima densitate resisterent maxime, aut propter naturam diuersitatem nihil omnino paterentur. Prope terram aqua propter pisces, aerque, propter aues & animalia caetera, quae respirando viuunt. Terra etiam densissima in medio est velut totius mundi fundamentum, aptissima ad caelestes omnes virtutes suscipiendas, lumenque mistorum generatione necessarium replectendum. Ignis rarissimus suprema petijt, ut maximum occupaturus locum dispergeretur maxime & rare fieret, rarusque cum esset, caelorum aspectum virtutisque descensum non impediret. Aqua densior densissime terra & aer rarus igni rarissimo adiuncta sunt: ut & piscium natatus constaret, & cetorum animalium respiratio ac motus, cuius ut est in textu vigesimo octauo libri tertij de caelo, propter tenuitatem ac mobilitatem aptissimum medium est aer.

Leue igitur est, quod a medio & sursum fertur: graue, quod ad medium est deorsum, leue, quod caeteris supereminet: graue, quod substat: aut simpliciter aut secundum quid. Poriores namque definitiones haec sunt, quam ex quas excogitauit Alcinoius, Graue est, quod difficile in locum extra naturam trahitur, Leue quod

St ij

Elementorum dispositio.

Leuis & grauis definitio.